



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

3. Spes.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

gnatus es ; concede propitius ; ut corde credam ad justitiam ; ore autem confitear ad salutem ; ac opere fidem confirmem, defendam ac dilatem, & sanguinem pro eadem profundam, ad tuam majorem gloriam, Amen.

Aspirationes.

I. Domine, adauge nobis fidem. Lucæ c. 17. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Marc. 9.

II. Fac Domine, virtus salutis mea ; ne sim de numero eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. S. Aug. med. c. 2.

III. Credo, quidquid dixit Dei Filius: nil hoc verbo veritatis verius.

P A S S U S III.

Spes.

T E X T U S.

Firmissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ

tutam ac firmam. Hebr.
c. 6. 18.

Cognitio.

Spes est virtus Theologica, residens in voluntate, quâ ex gratia Dei & meritis nostris præcedentibus firmiter speramus æternam beatitudinem. Hæc autem spei firmitas & certitudo innitur: 1. Omnipotentia Dei, qui potest omnia. 2. Bonitati Dei, qui vult dare. 3. Fidelitati Dei, qui in promissionibus non fallit. 4. Meritis Christi, qui omnia nobis promeruit.

Actus Spei.

1. Sperare æternam beatitudinem, animæ & corporis.
2. Sperare media ad fœlicitatem illam consequendam.
3. In necessitatibus ad Deum recurrere.
4. In magnis difficultatibus animum non abjicere.
5. In adversis non murmurare, sed tacere, & ad Deum suspirare.
6. Divinæ voluntati se conformare, Deo adhærere, & in Eo sperare.
7. Sanctorum auxilia implorare, ut quod meritis nostris non valemus, eorum patrociniò assequamur.

8. Si

8. Si omnibus mediis adhibitis, nihil tamen impetremus, tranquillitatem mentis tenere; & hanc ipsam esse suavissimam Dei providentiam & ordinationem credere.
9. Non niti propriis meritis; sed Christi, qui est caput nostrum: quamvis etiam propriis meritis, divinam gratiam, & auxilia promereri, studere debeamus: nam ut rectè S. Albertus M. ait: Spes sine merito, non est spes; sed præsumptio.

Consideratio.

Quem non erigat, ac confortet in spe, consideratio I. Divinæ omnipotentiae, omnia valentis. II. Bonitatis & liberalitatis, omnium miserentis. III. Promissio infallibilis æternæ veritatis. IV. Christi Domini merita infiniti valoris? Dicamus igitur cum Doctore mellifluo: *Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum. Tu es Domine spes mea. Hac unica mihi promissionum causa: prætendant alij alia. Tua me omnipotentia erigit, qua valet omnia; tua me bonitas firmat, qua vult nobis bona omnia; tua promissio roborat, qua promisit omnia; tui Filij merita confirmant, qua meruerunt omnia. In Te Domine speravi,*

E

non

non confundar in aeternum. S. Bernard. in
Psal. Qui habitat.

Petitio.

Tu es Domine spes mea : sperent alii in
amicitia propinquorum : alii in incerto di-
vitiarum : alii in armis & robore militum :
alii in Principibus & filiis hominum , in
quibus non est salus : ego autem sperabo &
gaudebo in DEO JESU meo , qui spem
meam corroboret ; ac denique spem in rem
convertat.

Aspirationes.

I. *Mihi adhaerere Deo bonum est, & ponere
in Domino spem meam.* Psal. 72.

II. *Da clementissime Domine, solidam
fidem, spem congruam, & charitatem con-
tinuam.* S. Aug. med. c. 1.

III. *In Te Domine speravi, non confun-
dar in aeternum.* Psal. 30.

P A S S U S IV.

Diffidentia sui.

T E X T U S.

*Non sumus sufficientes cogitare
ali-*